

de amor de Dios, que consuma el sacrificio, que así se mandaba en la ley: *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiciens ligna manè per singulos dies.* (Levit. vi, 12). La leña, con que se ceba y conserva este fuego, es el ejercicio de todas las virtudes.

Afectos y peticiones para despues de misa. Despues de haber celebrado, da muchas gracias al Señor por haber-te hecho tan gran merced de contarte en el número de sus sacerdotes, y ponerte en oficio de tanta dignidad, que excede á la de los Ángeles.

Pídele humildemente perdon de lo mal que has ejercitado este oficio, y de todas las veces que has profanado estos divinos misterios, celebrándolos indignamente, y asimismo de haber profanado el altar de tu corazón, ofreciendo en sacrificio á los ídolos de tus pasiones y afectos desordenados. Suplícale que él mismo consagre este altar de tu alma, y crie en tí un corazón nuevo y limpio: *Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Psalm. l, 12); y que te dé la santidad y pureza que se requiere para celebrar dignamente estos sagrados misterios.

Y para que sepas mejor lo que has de pedir, y conozcas las obligaciones en que te pone este oficio, considera la solemnidad de ceremonias y vestiduras, con que se adornaba el sacerdote legal (Molina, *Instruccion de sacerdotes*, Trat. II, cap. IV, V y VI) para celebrar aquellos sacrificios tan inferiores á este, como allí se declara. Píde al Señor que, pues te ha hecho sacerdote de tanto mas digno y noble sacerdocio, te dé todas aquellas condiciones y las demás que él mismo quiso significar en aquellas vestiduras y ceremonias, y procura tú de tu parte tenerlas; porque sino, quanto es mayor la dignidad tanto será mas estrecho el juicio y mas riguroso el castigo, como se dijo arriba.

ARTICULUS III.

RECTE SANCTEQUE VIVENDI REGULA.

Si vis aliquid proficere (de Imit. lib. 1, cap. 21), *noli esse nimis liber, sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos.*

Disciplina, dux itineris salutaris, magistra virtutis, facit in Christo manere, semper ac iugiter Deo vivere, et ad promissa coelestia, et ad divina praemia pervenire. (S. Cypr. de Hab. Vir.). *Ubi ea non viget, ait sanctus Ephrem, ibi magnum animarum naufragium. Ne igitur, concludit ille, hodie asperam ducas vitam, et cras mollem ac delicatam; sed canonem unum retine, sicut etiam sancti fecerunt patres, qui ad quinquaginta et ultra annos, suum non mutarunt canonem ac regulam. Quae hic ponitur, certas praxes continet pro qualibet die et hebdomada, pro qualibet mense et anno, necnon pro fine vitae. Rogo te, frater, cum sancto Bernardo, sta in Domino sollicitus semper circa custodiam huius ordinis, ut ordo ille te custodiat.*

Pro qualibet die.

Omnia honestè et secundum ordinem fiant. (I Cor. XIV.).

Omnia in gloriam Dei facite. (Ibid. x).

1. Horam tum cubandi, tum surgendi habeas determinatam; hinc non minimus pendet totius diei profectus. Pro diversitate temporis, possunt diversae assignari horae. Tempore aestivo, aptior surgendi hora est quarta vel quinta; et hiberno, quinta vel sexta. Quovis tempore, hora cubandi convenientior, nona vel decima. Sex aut septem, ad summum octo horae sufficiunt ad quietem: quod excedit plus officit quam proficit sanitati. Adde, cum sancto Vincentio à Paulo, ex tali excessu ani-

mum fieri enervem; et non parùm periclitari officia.

2. Statim atque experrectus fueris, mentem sursùm eleva, Deum adora, *præbe illi cor tuum*, sanctissimi Iesu, Mariæ et Ioseph profer nomina, et signo crucis muni te; deinde sedulus è lecto surgas, tanquam bonus et fidelis famulus quem ad obsequium suum vocat dominus. Sic Domino primitias consecrabis diei, quæ felicius ibit, illo coepta auspice.

3. *Dum amictum indues, aliquâ re spirituali mens occupetur. Puta*, inquit sanctus Carolus, *te gratiâ Dei in Baptismo fuisse indutum; te peregrinum in hac vita, et ut in patriam euntem debere gerere*; aut piam quamdam precationem recites, v. g. Ps. *Deus, Deus meus*, aut *Miserere mei, Deus*; vel *Te Deum laudamus*.

4. Decenter vestibus indutus, orationi vocali et mentali, per semi-horam ad minus, vacabis, persuasus cum S. Chrys., lib. 1 De orand. Deo, *simpliciter impossibile esse, absque orationis praesidio, cum virtute degere, et huius vitæ cursum peragere*. Quòd si aliqua de causa tempus illud definitum deflueret, occupatione quæ declinari non posset interceptum, aliud pro illo sedulo repones, ad istud Prophetæ attendens: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Ad faciliorem meditationis praxim, uti poteris aliquo pio auctore qui materiam et methodum orationis suppeditabit. Inter caeteros commendantur V. P. Ludovicus Granatensis, La Puente, Nepveu, Avancinus, etc.

5. Peractâ meditatione, ad missam devotè audiendam vel celebrandam procedendum; aut si hora nondum advenerit, lectioni et studio incumbendum, aliisve sui officii muneribus, recogitando sequentia: nempe, 1.º *nihil esse tempore pretiosius*; 2.º *breve illud esse et irrevocabile*; 3.º *in tempore redditionis à Deo strictè postulandum esse*; 4.º *clericum non ad inertiam atque ignaviam, sed spiritualis et ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse*; 5.º *Christum Dominum in laboribus fuisse à juventute sua*; 6.º *Deum solere negligentes deserere*; 7.º *luxuriam citò decipere hominem otiosum, hominem vagantem; otiositatem Deo et hominibus inutilem reddere, et solam in-*

utilitatem sufficere ad damnationem. Ita passim Scrip., Conc. et SS. PP.

6. Pro audienda missa potior methodus ea est, quâ tacitè sequimur sacerdotis actionem et orationes, v. g. dum sacerdos, *in plano*, peccata sua confitetur, tu tua sincerè detesteris. Dum *gloriam Deo in excelsis* peroptat, et *in terra pacem hominibus bonæ voluntatis*, tu nomen Dei laudes, eique de acceptis beneficiis gratiam referas. Dum ille Epistolam et Evangelium recitat, petas ut verbum Dei à corde tuo vacuum non revertatur. Dum offert dona, tu corpus, animam et passiones, eo quo voluerit modo, immolandas, offerre coneris; et sic ab initio usque ad finem, et sacerdotis et victimæ oblatæ spiritum ingrediaris.

7. Si sacerdotii munere donatus es, quidquid, in ordine ad sanctam missam, tibi est peragendum, habes in uno et sancti Caroli monitis ad clerum suum, his concepto verbis: *Qui sacerdotes estis, missæ sacrificium sæpius facite sanctè ac religiosè. Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixi; et quò purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite. In sanctissimi sacrificii actione ab erroribus vel levissimis omnino cavete. Quæ de illo piè ritèque celebrando præscripta sunt*¹, *ea vos studiosè diligenterque servate; et eo peracto, pro summi beneficii munere Deo gratias agile... ad minus quadrantis horæ spatio*. Vide suprâ,

¹ Haec si feceris, ut profectò debes, longè aberis à perlucentosa illa celeritate, quâ tot sacerdotes, rationis et fidei aequè egentes, dicto citius sacrum absolunt. Benedictus XIV, Institutione 34, parag. 6, observat: 1.º *Non semel improvisâ morte aliquos sacerdotes oppressos fuisse, ob indignam festinationem quâ rem divinam confitebant*. 2.º *Vix breviori spatio quàm dimidiæ circiter horæ, posse omnia in communibus missis peragi, cum debito decore ac devotione*. Et S. P. Benedictus XIII, edicto in omnibus urbis sacrariis appposito, vetuerat ne paramenta sacerdotalia ministrarentur iis sacerdotibus qui in celebranda missa minùs quàm tertiam horæ partem insumerent. Vid. Docum. pastor. ill. Ambianensis episcopi (d'Orléans La Motte), super celebratione missæ, pag. 23.

pag. 207, ubi gratiarum actionis post missam commendatur necessitas, et modus huius implendi officii traditur.

Concilium Taronense an. 1583 iubet ut, *expletâ missâ, calix cum patena, et corporalium theca cum vestibus sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondatur. Haec igitur tibi neglectui non sint, et in sordibus ea iacere non patiaris.*

8. Si choro addictus sis, quae huius sunt officii tradit tibi aliud sancti Caroli monitum quod sic habet: *Qui canonici estis, singuli vos canonicalis muneris partes explete. Omnes in choro statutis horis assistite, et ad Deum pro fidelibus piis religiosasque fundite preces. Dum eo loco estis, memores estote adesse Christum Iesum Dominum; cui servite cum timore et tremore. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote; non mente vagâ, non vagis oculis, non indecenti corporis statu. Attendite, studiosè, ritè, piè, religiosè divinas laudes concelebrate; et psallite Deo, in conspectu Angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino.*

In choro, nemo privatim, nemo tacitè officium recitet, sed omnes pariter quicumque adestis, senes cum iunioribus, laudate nomen Domini in psalmis, hymnis et canticis. A quibuscumque colloquiis, à litterarum aut librorum lectionibus, atque ab omni vagatione abstinete. Pro temporis autem et officii ratione, sedete, state, genua flectite, caput aperite et inclinate. Accuratè demum omnia observate quae eo de genere vobis praescripta sunt: ita ut vestro exemplo aliis sacerdotibus, clericisque, et rectè ritèque psallendi, et sanctè orandi, et piè agendi animum addatis. In psalmodiarum autem, canticorum et hymnorum intelligentiam studiosè incumbite; ut dum psallitis, pro sensuum sanctissimorum quos mente concepistis ratione, vos ad omnem pietatis devotionisque affectum excitetis. (Hac de causa legi potest Comment. Bellarmini vel Fr. Bellanger aut P. Berthier in Ps.)

Non ordinariae distributionis lucro adducti, sed Dei caritate religionisque cultu commoti, divinis officiis adeste, ut verè et ex animo illa Psalmi verba concinatis;

Voluntariè sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. Divinis officiis absolutis, paululum omnes in choro piè orate, inde abeundi signo per praefectum dato, consurgentes, quo ordine ad chorum accessistis eodem in sacristiam redite, ubi cappas, qui illis induti estis, et superpellicea, sine strepitu ullo vel susurratione, deponite.

Canonicales vestros conventus statutis hebdomadae diebus capitulariter habete. Omnes, qui debetis, ad illos convenite. Inde ne discedite, nisi missione à capituli praefecto impetratâ. Singuli ordine et loco sedete. Sententiam modestè dicite, et suo quisque loco, non praepostere. A verbis scurrilibus abstinete. In rebus consultandis ricas, iurgia et contumelias cavete. In initio et fine uniuscuiusque capituli statutas orationes dicite. Priori loco tractanda proponite quae ad divinum cultum, ad spiritualis vitae progressionem, ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, tum quae ad rerum temporalium gubernationem pertinent ne negligite. Omnia imprimis agite pace mutud et concordii voluntate. Caritate fraternâ vos invicem diligite; canonici enim estis, qui sicut pro collegii ratione, ex antiquo instituto, una in collegiata ecclesia, unoque item in canonicali domicilio collocati fuistis; ita uno pacis et caritatis foedere, unâque animorum consensione coniunctissimi, sicut nascentis Ecclesiae ministri, quorum erat cor unum et anima una, experiendo videte, sicut in Psalm. scriptum est: Quàm bonum et quàm iucundum habitare fratres in unum!

9. Si choro minimè addictus ad divinum teneris officium, parvas recitare horas poteris aliquanto ante prandium; ut nempe, manè laudato, et invocato in meditatione, Dei nomine, occasio et facultas tibi sit idem faciendi versus meridiem, ad instar Prophetarum, Ps. LIV, 18. Deinde non nihil dabis temporis *examine particulari*, in quo potissimum aut virtus comparanda, aut vitium extirpandum intenditur: ex eo viri suae salutis studiosi, tum ad morum emendationem, tum ad devotionis augmentum, magnam percipere utilitatem. Huic autem exercitio praemittenda, nudo capite et flexis genibus,

lectio unius Novi Testamenti capitis, quam rectè inchoabis hæc sancti Ephrem precatio: *Domine, Iesu sermone, aperi aures et oculos cordis mei ad intelligendum sermonem tuum, faciendamque voluntatem tuam.* Veteres christiani, ex S. Chrysostomo, secum, religionis causâ, deferre solebant sanctum Evangelium: convenit profectò ut idem faciat clericus, et id eius multum interest; nam ex eodem sancto doctore (Hom. 32 in Ioan.), *ubicumque Evangelium est, illuc diabolus ingredi non audeat; illinc omnis expellitur vis diabolica.*

10. Ad mensam parcam, frugalem et brevem (utinam piâ aliquâ lectione, saltem aliquot sacrae Scripturae versiculis conditam!) nunquam sine benedictione accedes, nec sine gratiarum actione ab ea recedes; tum exemplo Domini, qui id in coena fecisse legitur, tum ad informationem laicorum qui, heu! saepe huic officio desunt: tum quia, ut ait sanctus Ambrosius, *id à nobis expectat qui nos pascit Deus, ut pro praestitis ab eo escis illi gratiam referamus, et saturati donis ipsius laudes ei dicamus. Inter bibendum et edendum memineris te servum esse Dei, ut servos eius decet, comede et bibe.* (S. Doroth.). Quàm laudanda in clero sobrietas, quantaque secum affert omnis generis bona; tam damnanda ebrietas, tantaque diversi generis importat mala! *Vae qui potentes estis ad bibendum.* (Is. v). *Nunquam ego ebrium castum putabo.* (S. Hier.). Si in laico ebrietas dedecus est ac ignominia, in clerico res est monstruosa et planè horrenda.

11. Post cibi sumptionem, aliquo sermocinationis et oblectationis genere, par quidem est mentem animumque modicè relaxari, sed non nisi colloquiis et oblectamentis licitis, quae loco, temporis et personae congruant, et in quibus honestum et decorum semper servetur. *Omnia honeste fiant.* (I Cor. xiv). *In omni conversatione sancti sitis.* (I Petr. i). *Quae aliàs à summis pontificibus et à sacris conciliis, de clericorum vita, honestate, aleis, lusibus, copiis ac salubriter sancita fuerunt, eadem ut in posterum, sub iisdem poenis vel maioribus arbitrio ordinari, observentur, statuit sancta Trid. synodus.* (Sess. 22,

De Ref. c. 1). Vide ne ab iis ullatenus devies; nam, ut ait sanctus Damasus papa, *Violatores sacrorum canonum graviter à SS. PP. iudicantur, et à Spiritu Sancto, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur.* Nec te moveat plurium clericorum contraria consuetudo; quia, ut notat sanctus Nicolaus I: *Scimus ex sacris Canonibus, quòd non minus mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela, vitanda sit.*

12. Quae sint personae quibuseum expedit necne, ut familiariter agas et converseris, accipe ex lib. 1 de Imit. Christi, c. 8: *Non omni, inquit, reveles cor tuum, sed cum sapiente et timente Deum age causam tuam. Cum juvenibus et extraneis raris esto. Cum divitibus noli blandiri, et coram magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus et simplicibus, cum devotis et morigeratis sociare, et quae aedificationis sunt pertracta. Non sis familiaris alicui mulieri, sed in communi omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo et Angelis eius opta familiaris esse, et hominum notitiam devita.*

13. Transacto recreationis tempore, redi paulisper ad cor, et sacras die Vesperas. Tum in ea incumbere studia et opera quae status aut munus tuum requirunt; et sicut monet sanctus Carolus: *Ne omittas quotidie aliquid ex sacris Bibliis studiosè legere*¹. Nam, iuxta S. Chrysostomum, *infinita exorta sunt mala ex sacrarum Litterarum ignoratione; hinc, inquit, multa haereson lues*

¹ S. Hieronymus in epist. ad Laetam, hunc eius filiae designabat ordinem pro lectione sacrorum librorum: Discat primò Psalterium; his se canticis avocet, et in Proverbiis Salomonis erudiat ad vitam. In Ecclesiaste consuescat quae mundi sunt calcare. In Iob virtutis et patientiae exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta et Epistolas totâ cordis imbibat voluntate. Cùmque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriae Prophetas, Heptateuchum, et Regum et Paralipomenon libros, Esdrae quoque et Esther volumina. Ad ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum: ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis, spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur.

pullulavit; hinc vitae in multis neglectus; hinc inutiles et sine lucro labores. Discite igitur quod doceas, et obtine eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, etc. (S. Hier.). Sed in hunc finem opus est saltem Commentarii Menochii, et versionis hispanae P. Scio.

14. Si decentiae et honestatis causâ invisendi tibi quidam sint, id opportunius ages, si aliud non requirant circumstantiae, horis pomeridianis; sed memento semper eius quod de clericis in Trid. scriptum est (Sess. 22, De Ref. c. 1), scilicet eos sic debere vitam moresque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant. Visitationes autem quae, pro Ecclesiae ministris, strictioris sunt obligationis, sunt visitationes aegrotorum, afflictorum, pauperum, etc. *Non te pigeat istud tui muneris implere fideliter; ex his enim in dilectione firmaberis; et erit, ut aliquando cum electis audias: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum... infirmus eram, et visitastis me; in carcere, et venistis ad me. (Matth. xxv, 36).*

15. Sanctissimam Dei matrem virginem Mariam praecipuo pietatis affectu prosequere; et in huius testimonium coronam illius quotidie, aut ante coenam, aut antequam dormitum eas, diligenter recites. Ecclesia testatur, in *Officio Rosarii, cultum hunc eidem esse gratissimum; et quantum in votis habeat pia Mater nostraeque intersit, ut sic beatam Virginem iugiter veneremur, colligi facile potest ex magnis indulgentiis quas coronis ac rosariis tribuere summi pontifices. In ea autem precatone recitanda poteris, ad singulas decades, piâ meditatione recolere, vel totidem reparationis nostrae mysteria, quorum per Mariam petes effectum; vel praecipuas huius beatae Virginis virtutes, de quibus Domino gratias ages, et quae tibi, ea quâ valet apud illum gratia, communicari postulabis; vel gloriosos illos titulos Regina Angelorum, Regina Patriarcharum, etc., qui ipsi tribuuntur in eius litanis, orando ut tua cum coelitibus admittatur vox, et ut summi quos ab his Maria recipit honores, suppleant quod tuis deest laudibus.*

16. Sub vesperam, si liceat, ad visitandum et orandum in sanctissimo Sacramento Dominum Iesum accede: *Ipsae enim est sanctificatio nostra et redemptio: ipse consolatio viatorum, et Sanctorum aeterna fructio. (De Imit. lib. 4, c. 4).* Erubescendum sanè nobis est, quòd in hoc pietatis genere laici nos longè superent. Vix clerici, nisi quâ necessitas adigat, in sacris locis se videntes praebent. Vide ne ingratorum augeas numerum, et exemplum sume ex sancto presbytero Nepotiano, pretiosissima mortè functo, de quo sic S. Hieronymus: *Ubi-cumque eum quaereres, in ecclesia invenires.*

17. Si horis adstrictus sis canonicis¹, operae pretium est, ut *Matutinum et Laudes* pro crastina die, et quidem si fieri potest, ante coenam recites: quia si in posterum

¹ Munus divini Officii magni facias; nam *Angolorum opus est, et coelestis Hymnodiae praeludium.* (SS. Basil. et Greg. Naz.) In eo, pro Ecclesia legatione fungeris ad Deum, *tantum ipsâ orante per te.* Stude igitur illud dignè et utiliter persolvere, et cogita frequenter *maledictum* in sacris Litteris eum vocari *qui facit opus Dei negligenter.* Ante eius recitationem *praepara animam tuam;* in aliquem locum orationi aptum secede; statue te in conspectu Dei et sanctissimorum Angelorum; cor purifica contritionis actu; intentionem dirige, uni te Christo et Ecclesiae nec non Sanctis quorum est officium. In hoc recitando *iunge sensum verbis, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi* (S. Bern.), ut nempe tibi non contingat quod plerisque clericis, qui indevotione ac nimia celeritate suâ totum officii fructum deperdunt, *et ibi plus peccant, ubi peccata sua emendare debebant.* (Idem). Attentionem, initio cuiusque psalmi, orationis, et aliarum divini officii partium, renovare, atque excitare satage; praesertim dum illa verba pronuntias: *Deus, in adiutorium meum intende;* in fine etiam cuiusque psalmi, ad haec verba: *Gloria Patri,* etc., et in conclusione orationum, cum dicitur: *Per Dominum,* etc. (Conc. Med. v). Si quando autem te ad sedendum debilitas evidens aut nimia lassitudo compellat, saltem ad incoptionem officii, ad invitatorium, hymnos et ad orationem Dominicam, surgere non omittas. Si etiam in lecto aegritudinis decumbens, reverenter nihilominus te habeas, prout poteris. (S. Bonav.). Nam, ut ait S. Cyprianus, *placendum est divinis oculis etiam habitu corporis.*

differas diem, valdè periclitabitur oratio mentalis; quam si omittas, vel ex parte, ut probabilius tunc facies, non melius ac felicius procedent res tuae. *Nisi quoddam lea tua meditatio mea est, aiebat Propheta, tunc fortè perissem in humilitate mea.* (Ps. cxviii).

18. Orationem serotinam, et quidem in communi, si penes te sit, cum examine generali, cum actu contritionis, et cum pia lectione habeas. Illà communi oratione et pià lectione (quae quartà saltem horae parte durare debet) mirum in modum mens illuminatur, animus inflammatur, memoria reficitur, tentatio per noctem expellitur, et damna diei reparantur. Libri autem spirituales, quorum lectio imprimis commendatur, sunt *Imitatio Christi; Pugna spiritualis; opera S. Franc. Salesii; Rodriguez; Lud. Granatensis; liber de Doloribus Christi*, auct. P. Th. de Iesu; acta Martyrum; Vitae Sanctorum, praesertim sancti Caroli, sancti Francisci Xaverii, sancti Vincentii à Paulo, sancti Francisci Salesii, etc.

19. Dum vestes exues, piam quamdam considerationem in animo versa, v. g. inquit sanctus Carolus, sup. *Mane sequenti te forsàn vitiorum ampliùs non fore numero; peccati causà hominem gratià spoliari; aut aliud eiusmodi, vel precatiunculam habebis.* Stratum ascensus, te et lectum tuum aquà asperge benedictà, dicens: *Per signum crucis, de inimicis nostris libera nos, Deus noster.* Decumbens, commenda Domino, beatae Virgini et sanctissimis Angelis spiritum tuum; et cura ut in pace Domini, cum pia mentis affectione et cogitatione, requiescas. Quae enim cogitatio, aut affectio te ante somnum occupaverit, eadem haud dubiè post somnum tenebit. Si tibi per noctem contigerit expergisci, *Memoris Dei*, exemplo Prophetæ, *super stratum tuum*, vel, ut monet sanctus Ambrosius, *psalmos, aut Pater noster*, cum devotione recites.

Pro qualibet hebdomada.

1. *Quandoquidem Poenitentiae et Communionis sacramenta, quasi duae columnae sunt, quibus totum spiri-*

tuale aedificium, ut conservetur, *fulcitur*; ideo, inquit sanctus Carolus sup., *saepius quò potueris ad illa accedas; ad Confessionem, singulis hebdomadis, aut saltem quindenis*¹; et ad Communionem, secundùm consilium patris spiritualis, *qui doctus et pius debuit assumi, et cui te totum oportet committere.* Ita, tamen, *vive, ut quotidie merearis accipere.*

2. Aliquod mortificationis genus, vel internum vel externum, tibi propone, v. g. die veneris ieiunium, aut saltem abstinentiam maiorem in memoria passionis Christi, vel die sabbati in honorem sanctissimae genitricis Mariae, etc.

3. Fidelium pietas varios hebdomadae dies hoc modo distribuit et consecravit, nempe *diem dominicam* adorationi sanctissimae Trinitatis; *feriam secundam*, subsidio defunctorum; *tertiam*, cultui Angelorum, imprimis custodum; *quartam*, sancti Iosephi, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli; *quintam*, sanctissimi Sacramenti; *sextam*, memoriae passionis, et *sabb.* venerationi beatae Virginis. Religiosae huic consuetudini stude te conformare, et nonnullas habe praxes aut preces quas, secundùm dictam designationem, quavis die peragas. Sic illam nutries pietatem, quã ex Trid. *conspicui esse debent omnes altaris ministri.*

4. Qui curam habent animarum efficient ut, diebus dominicis et festivis, fideles ecclesiam frequentent; quod obtinebunt peragendo decenter ac religiosè divina officia; praedicando, ut par est, verbum Dei², et aliis pie-

¹ Qui singulis hebdomadis, nisi legitime impediuntur, confiteri consueverunt, hunc ex eo capiunt fructum, quòd omnes et quascumque indulgentias (eà, quae iubilaei est, exceptà) lucrari et consequi possunt, sine actuali confessione, si nullus lethalis culpaë conscius sibi sint. Secus alii, qui tam frequenti peccatorum confessione animam capiare non solent; ii enim, quamvis mortalis peccati expertes, debent, quando in brevibus pro indulgentiae consecutione confessio apponitur, saltem in vigilia festivitatis confiteri, si tanti velint boni participes esse. Ita Clemens XIII in decreto dato 9 dec. 1763.

² Conc. Trid. sess. 5, cap. 1 et 2, De Reform. «Cum, inquit, præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum